



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Avla ... Thesavrorvm Dei In Passione D. N. Iesv Christi
Effusorum ad Resvrrectionem Mvltorum**

Eyschen, Georg von

Coloniæ, 1655

§. 7. Dicentes ut quid perditio hæc? v. 8.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45515

DA mihi Iesu, ut licet peccatores mundi indignentur super me, si fors Ecclesijs bene fecero, si eleemosynas pro nomine tuo siue spirituales siue temporales dedero, ut non terrear, sed pergam audacter in opere tam à te commendato, non enim intelligunt gratiam tuam, quam mihi peccatori præstitisti, me vocando ad penitentiam, nec bona & spem in quibus me constituisti.

§. 7. Dicentes ut quid perditio hæc? v. 8.

Cur perditio? o Apostolitan Eleemosyna perditio: bonum opus est, non perditio? audistis quandoque: sicut aqua exstinguit ignem, ita eleemosyna exstinguit peccatum. Hæc mulier vel plena est peccatis, & vult ea delere, ideoque venit supplex ad me, juxta meam doctrinam, *venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis*, provolvit se & confitetur peccata sua publicè, & sicut publicè peccavit, ita & publicè penitentiam facit, & in satisfactionem peccatorum offert Eleemosynam Prophetæ magno, unguentum pretiosum effundendo super caput meum, & tu dicis, ut quid perditio? vel certe hæc mulier cupit esse grata in me benefactorem Dominum & Deum suum, & pretiosissimum quod habet, quodammodo sanctificat mihi, *an oculus vester malus est, quia illa bona est: amulamini charismata meliora.*

O Si tu idem faceres quicumque discipulus Christi esse vis, quam salubre tibi foret! ut idem faciam semper & ubique, te, Domine Iesu, supplex rogo, atque ut id mihi concedatur, rogo iterum per intercessionem huius sanctæ mulieris, sicuti per mansuetudinem David te invocandum Psalmus admonuit.

§. 8. Potuit enim istud venundari multo & dari pauperibus. v. 9.

Cur pauperibus & non Deo? cum quidquid pauperibus sit, propter Deum oporteat dari! Et gone propter quem datur omne quod recte datur, ipsimet non recte datur? pessima est ista sapientia. *Dicis, propter ipsum debuit hoc unguentum effundi per hanc mulierem?* erras discipule quisquis es, si non errore scientiæ, saltem errore invidiæ aut avaritiæ: aut non credis Iesum Deum tuum aut non amas, fors ore dicis, corde non dicis, qui in effectu negas, nec amare te probas, qui recusas Iesu Salvatori tuo bene fieri, & in hoc scandalizaris. Apage hinc livens & malum cor.

Non sentiam nec faciam ego sic, mi Iesu, sed & tibi & pro te omnibus serviam, & ex nunc servire propono, benefaciam & benefacere constituo, dum spiritus hos regit artus, ut tu per me benedicaris semper.

§. 9. Sci-